POSTREMUS HONOR,

qvem

NOBILISSIMI AMPLISSIMIQVE

VIRI

DN. JOHANNIS ZERNECKII,

Consulis Reipubl. Patriæ meritissimi,

perbeatis Manibus

placido pioqve obitu, 6. Augusti, A. O. R. M. DCCIII.

extincti,

Ipso funerationis die,

qvi in Dominicam X. post Trinit. festum incidebat,

exhibere voluit

GEORGIUS HENRICUS CZIMMERMANNUS,

Thorunensis.

Carmina Thespiadum lugubria prome, caterva,
  Cymbala, Pieriam pone lyram, atqve chelin:
Abjice jam laurum, vesti Te fronde cupressi,
  Luctibus apta Tuis hæc magis arbor erit.
Qvantumvis fuerit summo decoratus honore,
  Parcarum tamen hoc nil fera triga facit.
Nil claros facit illa viros, sapientia nil est,
  Exorare illam qvod qveat, esse neqvit.
Carmina Thespiadum tristi modulamini avena!
  In lacrymas abeat, qvod fuit ante melos.
Nam rapuêre Virum tristissima fata, Thorunnam
  Qvi juvit genio consiliisqve suis.
Ecce! Thorunæi testatur gloria mundi,
  Qvòd fuerit Consul providus atqve gravis.
Illius idcirco lugent hæc mœnia fatum,
  Hunc sua deplorat maxima progenies.
Non tamen ereptus nobis, sua qvippe per Urbem
  Undiqve fama manet, nec moriturus honos.
Mors Ejus non mors, verùm reparatio vitæ est
  Perpetuæ, potius vita vocanda venit.
Tempora nunc mala sunt, pax & concordia desunt,
  Bellum cuncta vorat, fataqve dira premunt.
Undiqve sub cœlo statûs molimina nutant:
  Exilium patitur sanctaqve justitia.
Ast membra Illius nigram conduntur in urnam,
  Spiritus in cœli culmine lætus ovat.

THORUNII,

EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASII.